



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 888. Usque Ad Annum 1000

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1761**

**VD18 90117921**

§. 21. Nuncii Pontificis Constantinopoli male habit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66313](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66313)

Alia die Luitprando cum pluribus Sæculum X.  
Episcopis & Patriarcha ad mensam vo- A.C. 968.  
cato aliquas ex Sacra Scriptura quæstio-  
nes proposuit. Tum subito: quæ Con-  
cilia recipitis? respondente Luitprando:  
*Recipimus Concilium Nicenum, Calcedo-*  
*nense, Ephesinum, Antiochenum, Car-*  
*thaginense, Ancyranum, Constantinopo-*  
*litatum, Imperator effuso risu, Saxo-*  
*nicum, inquit, oblitus es commemorare,*  
*quod tam novum est, ut in nostros*  
*codices referri necdum potuerit.* Re-  
spondit Luitprandus: *Ibi applicandum*  
*fuit remedium, ubi ulcus natum erat.*  
*Hic Concilia fuere celebranda, quia hic*  
*ortæ sunt Hæreses. Rudis est & nova*  
*Saxonum fides, sed viva & operibus*  
*comprobata. Apud vos ea emori & ob*  
*vetustatem contemni videtur. In alio*  
*convivio, Luitprando præsente, Homi-*  
*liam S. Joannis Chrysostomi in Acta Apo-*  
*stolorum legi præcepit.*

### §. XXI.

*Nuncii Pontificis Constantinopoli male  
habiti.*

Die vigesima Julii, Græci Festum Eliæ Menol.

Prophetæ videlicet raptum in Cæ. 20. *Jul.*  
lum, referente Luitprando, ludis Scen-  
cis celebrarunt. Dicit incidisse hoc  
Festum in diem lunæ, quod annum non-

G g 3 gente-

Sæculum X.

A. C. 968.

gentesimum sexagesimum octavum prodit. In Festo autem Assumptionis Beatæ Virginis Constantinopolim pervenerunt Nuncii Joannis Papæ cum Epistolis, quibus Nicephorus Imperator rogabatur, cum Ottone Imperatore fœdera inire, & nuptias propinquæ suæ cum Ottone Augusto juniore non rejicere. Illud vero Græci impatientissime tulerunt, quod Papa in suis literis Ottонem, Romanorum Imperatorem, & Nicephorum non nisi Græcorum appellaret. *Quæ insolentia, ajebant, hominis Romani, barbari! quomodo mare tantæ audacia codicillos vebere potuit? quomodo non cum ipso navigio in profundum rapti sunt?* Sed quid faciemus Nunciis istis miserabilibus? mancipia sunt centonibus tecta, vilia mendicabula, indigna quorum sanguine manus nostras polluamus! Ergo in carcerem mittuntur, dum Imperator, qui tunc aberat, rediret.

Interim Luitprandus adhucdum Constantinopoli morari cogebatur, quamvis sub finem Julii missionem ei dedissent; vixque impetrare potuit, ut in Festo Exaltationis veram Crucem adorare sibi liceret. Tandem decima septima Septembris, cum ad colloquium Christophori Patricii Evnuchi fuisset vocatus, dixit ille: *Ne mali consulas, quod diu-  
tius te moremur. Nam Papa Romanus*

(si tñ-

(*si tamen Papa est vocandus, qui cum Sæculum X.  
Alberici filio, † Apostata, adultero, sa-* A. C. 968.  
*crilego communicavit) Papa, inquam, ad* *† Joanne*  
*Imperatorem Epistolas dedit, Græcorum XII.*  
*Imperatorem & non Romanorum vocans;*  
*quod Domini tui consilio actum, nullus*  
*dubitandi est locus. At Papa fatuus,*  
*insulsus ignorat, Constantinum, cum Im-*  
*perium in hanc civitatem transstulit, to-*  
*tum Senatum, Romanosque Proceres &*  
*viros militares transvexisse, Romæ vero*  
*non nisi vilia mancipia, pescatores, cu-*  
*piedarios, & infimam plebem reliquisse.*  
Respondit Luitprandus: *Noluit Papa*  
*Imperatorem offendere, sed gratum se scri-*  
*pturum putavit. Cum enim linguam,*  
*mores, vestes Romanorum abjecisti, cre-*  
*didit, nomen quoque vobis displicuisse.*  
*Si quid erratum, in literis futuro tem-*  
*pore scribendis emendabit. Græci mol-*  
*liore responso deliniti Luitprando duas*  
*tradiderunt Epistolas, unam Nicephori*  
*Imperatoris ad Ottonem Imperatorem,*  
*alteram Imperatoris fratri argento si-*  
*gnatam ad eundem datam, dicentes:*  
*Papam vestrum judicamus indignum, qui*  
*Epistolas ab Imperatore accipiat. Mit-*  
*tit autem illi Europalates literas, quales*  
*meretur, easque non miseric Nunciis,*  
*sed tibi deferendas tradit, ut sciatur, se*  
*nisi resipuerit esse perditissimum.*